



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

3. Ex parte &c. Concessio facta Canonicis Genevensibus, è Civitate Genevensi expulsis, ut officia divina celebrare possint in Ecclesia Anneciensi Fratrum Minorum de opservantia: anno 1539.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

praesertim quae ex oppido Alfeld, sub districtu Castris Vitzemburg & Saltza, sub districtu Castris Laufenstein ex Langenhagen, sub districtu Castris Kalenberg; Henningh Raufchenplaten, jure obligationis descripta erant, super quibus Feria tertia post Festum S. Bartholomaei tractaretur in Oppido Quedlinburg, & Duces Brunsvicenses praedictis Principibus Tractatoribus instantibus consenserunt, secum militantibus, qui in Diocesi, seu proprietate Hildenshemensi Castra sub reemptione habuerant, & apud Diocesim Hildenshemensem in Bello manserunt, seu cum ipsorum militantium haeredibus, tamen ad eorundem Ducum Brunsvicensium beneplacitum, & sub possibili via, & modo concordatos feria tertia post Festum Sancti Bartholomaei. Hujusmodi ad quos tractatus ipsi Principes tractatores quilibet duos ex suis Consiliariis essent missuri; forentque ea spe Principes tractatores, ipsorum intuitu, & petitione pro militaribus facta, Principes Brunsvicenses facturos quae alias ipsi Duces Brunsvicenses facere non cogitassent. Quodque Capitulo, & aliis Ecclesiasticis ambarum Civitatum Hildenshemensium, Chartusienfis, Dominis in Monte, in Marienrode, Hospitale Sancti Joannis, & Saltze prope Hildenshem sua Bona, quae ante Bellum hujusmodi feudali haereditario jure, aut sub reemptione habuerant, restitui, suisque consuetudinibus, libertatibus privilegiis, descriptionibus, Vefchenburg nuncupatis, & jure gaudere, & tuti deberent esse: similiter & eorum subditis observaretur; Et quantum ad Castrum Steinbrücke, Principes Brunsvicenses duos ex suis Consiliariis, & praefatum Capitulum Hildenshemense duos ex Canonicis Capitularibus mittere deberent, Principes Brunsvicenses gratiosos tractatus admiserunt, & quod ad hos tractatus ipsi Principes mittere deberent. Cum haeredibus Hans Berners, sicut cum aliis militaribus observari deberet. Et super his dicti Principes Brunsvicenses deberent, & vellent Bannum Imperiale, omnemque disgratiam Caesareae Majestatis amovere, & praesentem Concordiam ab ipsa Caesarea Majestate confirmari obtinere, ac quod per hanc concordiam Bella, disgratia, omnis controversia, & differentia ambarum partium amota, & amota, & praesertim quoad Civitates, & oppida, Braunschweig, Göttingen, Hannover, Northeim, Hammeln, aliasque Civitates, seu Oppida ipsorum Ducum Brunsvicensium, omnesque alios, qui Bellis, & Causis hujusmodi adhaeserant, ac Consilium, & auxilium praestiterant, vel suspecti erant habiti, composita, & concordata, compositae, & concordatae censerent, & esse; dictaque Partes hujusmodi Concordiam, ac omnes, & singulos articulos in ea contentos firmiter, bona fide, & virtute Juramenti observare, & tenere, Partes hinc inde dictis Principibus tractatoribus solemniter promiserunt praesentibus Consulibus & Proconsulibus, quos Civitates seu Oppida, Goslar, Magdeburg, & Eimbeck, ad tractatus dictos Concordiae hujusmodi assumpserunt, & adhibuerunt; In fidem & testimonium, Principes tractatores, ac Ericus, & Henricus Duces Brunsvicenses, & Luneburgenses pro se, suisque Successoribus Concordiam hujusmodi sigillari fecerunt.

II. Et deinde Carissimus in Christo Filius Noster Carolus Quintus, Romanorum Imperator semper Augustus, Concordiam praedictam auctoritate sua Caesarea confirmavit, & approbavit, prout in litteris, seu instrumentis, aut Documentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro Parte Erici, & Henrici Ducum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut Concordiae, compositioni, & conventioni hujusmodi, pro illius subsistentia firmiori, robor Apostolicae firmitatis adjicere, & alias in praemissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, quorum est ea quae sunt pacis & concordiae sinceris prosequi favoribus, & votivo effectui salubiter

demandare, Systematum, & Instrumentorum, seu Documentorum praedictorum veriores tenores, praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Concordiam, compositionem, conventionem, & promissiones, ac subsequendam confirmationem Caroli Imperatoris hujusmodi, cum Pactis, & Capitulis in eis contentis, nec non omnia alia illas concernentia in dictis litteris, & Instrumentis contenta, & inde secuta quaecumque, & Auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuae firmitatis robor adjicimus, eaque in omnibus suis Capitulis plenum effectum sortiri, & inviolabiliter perpetuo per quamlibet ipsarum partium observari debere decernimus, suppletentes omnes & singulos Juris & facti defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Quocirca Venerabili Fratri Nostro Episcopo Casertanensi, & Dilectis Filiis Sancti Blaxii intra, & Sancti Ciriaci in Monte prope & extra muros Oppidi Brunsvicensis, dictae Hildenshemensis Diocesis, Ecclesiarum Decanis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, & in eis contenta, ubi, quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ducum Brunsvicensium super hoc fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra Concordiam, Compositionem, Conventionem, & Promissiones praedictas, juxta illum Approbationis, & Confirmationis hujusmodi tenorem inviolabiliter servari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per Censuras, & poenas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compefcendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Saecularis, non obstantibus praemissis, ac quibuslibet Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non legibus Imperialibus, ac Ecclesiae Hildenshemensis, nec non Monasteriorum, & Civitatis praedictorum Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam municipalibus, nec non quibusvis privilegiis, & indulgentiis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, ac formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis concessis.

III. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio habenda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenariam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Approbationis, Confirmationis, Adjectionis, Suppletionis, Decretorum, Mandati, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, Milleesimo Quingentesimo, trigesimo septimo, Sextodecimo Kalendarum Januarii, Pontificatus Nostri, anno quarto.

Concessio facta Canonicis Genevensibus, è Civitate Genevensi expulsi, ut Officia divina celebrare possint in Ecclesia Anneciensi Fratrum Minorum de Observantia: anno 1539.

II.
Ex Arch.
Capituli
Genev.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei Dilectis Filiis, Capitulo & Canonicis Ecclesie Gebennensis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte Venerabilis Fratris Petri Lamberti Episcopi Casertanensis, Referendarii nostri, fuit nuper propositum coram nobis. Videlicet quoddam cum faviente in Civitate Gebennensi pestifera hæresis Lutheranae Sectatorum persecutione, vos ab Ecclesia vestra Gebennensi, & Civitate prædicta per Cives & incolas ipsius Civitatis impie expulsi, ac Calicibus, & sanctarum Reliquiarum repositoriis, nec non pluvialibus & aliis sacerdotibus indumentis, ac paramentis & ornamentis divino Cultui ipsius Ecclesie dicatis, spoliati fuissetis; Vos nolentes propterea cultum divinum huiusmodi prætermittere, & ab obsequiis divinis desistere, prout nec desistitis, tandem in Ecclesia domus Sanctæ Crucis oppidi Annetiaci, ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Gebennensis Diocesis, de consensu, & voluntate ipsius Petri Episcopi, ejusdem Domus fundatoris ac dilectorum Filiorum illius Fratrum vos reduxistis, & imbi extunc Capitulares, & alias Missas, ac omnes & singulas horas Canonicas diurnas, & nocturnas juxta morem ipsius Ecclesie Gebennensis celebrastis & decantastis, prout celebratis & decantatis de præfata, & licet vos in præfata domo, nisi solum & duntaxat in illius Ecclesia, tempore celebrationis divinarum, nullatenus vos intromittatis, ac de paramentis, eidem divino cultui necessariis provideritis, Vosque & Fratres prædicti in divinarum celebratione vos non impediat, cum domus & Ecclesia huiusmodi ad hoc capaces existant; & si Ecclesia & domus huiusmodi vobis pro divinis celebrandis concessa non fuisset, vos in partibus illis Ecclesiam ita commodam non reperissetis, nihilominus à nonnullis hæsitari posset, an vos, qui Presbyteri & Clerici Sæculares estis, in Ecclesia Regulari Missas, & alia divina Officia celebrare & recitare possitis, pro parte dicti Petri Episcopi, qui etiam litterarum Apostolicarum Corrector ac majoris Præsidentie Abbreviator existit, & ut asseritur, Canonicatum, & Præbendam ejusdem Ecclesie Gebennensis, ex Concessione Apostolicâ obtinet, nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum restitutio vestra forsan ad aliquod tempus differatur, vobis super his opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignemur.

Nos igitur, qui modestis petitionibus libenter præbemus auditum, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis & aliis personis & ministris ejusdem Ecclesie Gebennensis, ut quamdiu vestrum exilium ab Ecclesia Gebennensi, & Civitate prædictis, ac persecutio Lutheranorum huiusmodi duraverit, in Ecclesia domus huiusmodi, de consensu dicti Petri Episcopi illius Fundatoris & absque præjudicio ipsorum Fratrum, Capitulares & alias Missas ac horas Canonicas diurnas & nocturnas, aliaque divina Officia juxta usum Ecclesie Gebennensis huiusmodi decantare, & recitare, ac Capitulum vestrum in Ecclesia domus huiusmodi, seu illius Capitulari celebrare liberè & licitè valeatis, præmissis ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non ipsius Ecclesie Gebennensis, etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Autoritate Apostolicâ tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millefimo Quingentesimo Trigesimo Nono, Decimo Calendas Martii, Pontificatus nostri, anno sexto. Sign. Bernardus.

Capitulum Canonicorum à Sæcularisatione Abbatie Benedictinæ S. Bavonis recens erectum transfert ab Ecclesia S. Bavonis, (quæ ad construendam Arcem diruebatur;) ad Ecclesiam Parochialem Sancti Joannis: anno 1540.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica, æqua semper in omnibus distributrix, ea quæ rationabiliter, maxime pro Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum necessitate gesta, & concessa fore dignoscuntur, ut illibata persistant, Apostolico consuevit munimine roborare.

Sanè Carissimus in Christo Filius Noster Carolus Romanorum Imperator, semper Augustus, qui etiam Castellæ, & Legionis, ac Arragoniæ Rex, nec non Flandriæ Comes existit, suo, & dilectorum Filiorum Præpositi, & Capituli Sæcularis, & Collegiæ Ecclesie Sancti Bavonis Oppidi Gandavensis Tornacensis Diocesis nominibus nobis nuper exponi fecit, quoddam dudum dilecto Filio nostro Alexandro Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali de Farnesio nuncupato, Sanctæ Romanæ Ecclesie Vicecancellario, tunc in partibus illis nostræ, & Sedis Apostolicæ de Latere Legato, pro parte ejusdem Caroli Imperatoris exposito, quoddam ipse Carolus Imperator ad Oppidanorum dicti ejus Oppidi Gandavensis sub debitis fidelitate, & obedientia animos continendos, ac inter eos, & totam Patriam, nec non Comitatum suum Flandriæ pacem, & tranquillitatem perpetuè fovendam, & conservandam, aliisque necessariis, & urgentissimis causis animum suum moventibus, unam munitam arcem, sive Fortalitium in situ dictæ Ecclesie Sancti Bavonis, loco ad id convenientiori construi, & edificari facere inceperat, ad quod pro Arce, seu Fortalitio huiusmodi faciendâ, seu faciendâ, totam Ecclesiam prædictam, seu ejus majorem partem demoliri oportebat.

Ac propterea præfato Alexandro Cardinali, & Legato pro parte ejusdem Caroli Imperatoris instanter supplicato, ut in dicta Ecclesia nomen Collegiæ penitus, ac in Parochiali Ecclesia S. Joannis huiusmodi, ejusdem suppressere, ipsamque Ecclesiam Sancti Joannis, ad quam idem Carolus Imperator, (qui in illa Baptismatis Sacramentum susceperat) singularem gerebat devotionis affectum, in Collegiatam Ecclesiam sub invocatione Sancti Bavonis erigere, & instituere, & ad illam Capitulum, & Mensam Capitularem ipsius Ecclesie Sancti Bavonis transferre dignaretur.

Dictus Alexander Cardinalis, & Legatus, sufficienti ad id, ut asserbat, per Litteras dictæ Sedis facultate munitus, ipsius vigore, precibus ipsius Caroli Imperatoris in ea parte inclinatus, in Sancti Bavonis nomen Collegiæ, & in Parochiali Ecclesia prædicta invocationem Sancti Joannis huiusmodi perpetuè suppressit, & extinxit, eandemque Parochialem Ecclesiam in Collegiatam, sub invocatione ejusdem Sancti Bavonis cum Collegialibus insigniis perpetuè erexit, & instituit, ac Abbatiam, seu Præposituram principalem, nec non reliquas Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, Cappellanas, & Beneficia dictæ Ecclesie S. Bavonis, cum anniversariis, fundationibus, provisionibus, Collationibus, Patronatu, & Funeralibus, ac aliis juribus, Jurisdictionibus, Censibus, fru-